

τι φώς ἄνδρεςσι γένηαι ut apud Homerum¹ inquit ad Teucrum Agamemnon. Carthusius ex eo hominum genere, quibus nemo placet satis nec ipsi aliis, quibus nihil rectum uidetur, nisi quod ipsi somniarint, ne dicam senserint, cum in suam sententiam te fortiter reluctantem pertrahere nequeat frustra que laboret in tot scriptorum euoluendis commentariis, e quibus πανοπλίαν illam suam desumit, nam domi suae nihil habet, quod controuersiae huic deseruiat, consulto tandem oblatam abs te perpetuam ἀμνηστίαν acceptabit, non enim honestiore praetextu hac pugna excedere poterit. Quod si fecerit, se deuictum fatebitur, sin minus, insane insanire existimabitur et omnino helleboro purgandus erit, qui uelit contra torrentem nisi καὶ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν ἤδη μὲν γὰρ iuxta illud Hesiodi νίκης τε στέρεται, πρὸς τ' αἰσχρῶν ἄλγεα πάσχει.² Vale feliciter.

Aus dem Cod. lat. Monac. 4007, fol. 131f.

Freiburg.

XLVIII.

15. October 1521.

Jacobus Bedrottus³ Pludentinus Michaeli Hummelbergio
Rauenspurgensi salutem.

Et ingenii tui, ut erecti, ita omne studiorum genus eruditi candor et Jo. Baetzius amicus noster communis, ut tibi his obstreperem, submonuerunt. Illud quem non ad amandum illicit, quem non ut se tui amore captum prodat, inhortatur? Huic ob eruditionem non uulgarem moresque integerrimos mihi carissimo, uerum eo nomine, quod se Humelbergii cognatum gloriam,⁴ subinde multo cariori, non potui non gerere morem. Boni igitur meam consulto impudentiam, qua ex sorte usuram me facturum nihil est quod dubitem. Porro si tertius accesserit fructus, hoc est si in amici rem nonnihil effecero, Babylona me uicisse, ut in prouerbio est, putabo. Ut uero Michael optime

¹ II. VIII. 282.

² Hesiod. oper. 208.

³ J. Bedrottus, Mathematiker und Gräcist zu Freiburg; cf. Schreiber, Geschichte der Universität Freiburg I. 87 ff. Der Lehrer der in dem Briefe erwähnt wird, ist Konrad Heresbach, cf. über ihn Schreiber a. a. O.

⁴ Vielleicht ,qui quod gloriatur'.